



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

36. Quænam pertinacia sufficiat ad constituendum hominem hæreticum non solum in foro interno, sed etiam externo? Et supponitur nullam esse hæresim sine pertinacia. Et an ignorantia crassa, & supina ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ia addit. ad ejus opera poss. lib. 3. Consilior. ad 9.4. n. 29. fol. mibi 6. col. 1. ubi sic ait: Si quis fuit absolutus ex eo quod in tortura perstitit, & tunc sine dubio indicia quæ per torturam fuerunt purgata, & sublata, nullam vim habent, siortia sunt, nec propterea conjungi possunt cum alijs supervenientibus indicijs, aut probationibus; secus si tortura non illata reus fuit absolutus, ex eo quod in judicium contra ipsum deducta non sufficiebant ad condemnandum. Tunc enim imperfecta probatio primæ instantiæ, conjungitur cum superveniente probatione, secundum veram, communem & usu receptam sententiam, de qua est Bart. Host. Abb. Felin. Alex. & Alciat. in locis per eum relatis, testatur Simanca Cathol. iustit. tit. 18. rubr. de defunctis, n. 20. Et hanc declarationem bene nota, quia (ni fallor) alibi eam non reperies in specie positam, sæpe habui in facto, & sic, ut supra, judicavi, & communiter judicatum vidi. Ita Farinacius loco citato.

RESOL. XXXVI.

Quenam pertinacia sufficiat ad constituendum hominem hereticum, non solum in foro interno, sed etiam externo?

Et supponitur nullam esse hæresim sine pertinacia?

Et an ignorantia crassa, & supina excuset ab hæresi, & quid de affectu?

Et an sit censendus hereticus pertinax vir simplex admonitus ab Inquisitoribus, vel Episcopo, si adhuc in suo errore persistat? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 36.

Sup. hoc, quod hic supponitur, sup. in tr. 8. epist. 162. quo clarè habetur in cap. dixit Apostolus 2.4. quamvis re- g. 3. cap. 1. Ecclesia, eadem quest. & causa, & expressè in Clem. de summ. Trinit. & fide Cathol. & colligitur ex alijs iuribus, ut ex cap. damnamus, de summ. Trinit. & cap. cum contumacia, de heret. in 6. & cap. excommunicamus, de heret. & patet ex definitione ipsius hæresis, quæ dicitur error voluntarius contra aliquam fideli veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas quæ multorum torfit ingenia, consistit in declarando quænam sit ista pertinacia sine qua nullus est hereticus.

1. Prima opinio est ferè omnium Theologorum assertentium ad pertinaciam sufficere quod sciens quis aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, sed ut quis animadvertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ Catholice, & tamen neglecta auctoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione. Ita Becanus in 2.2. cap. 14. quest. 2. concl. 3. num. 10. Scortia in Bull. Pontif. epist. 4. theor. 8. Turriarvus tom. 1. in 2.2. disp. 55. dub. 2. Vasquez in 1. 2. quest. 76. art. 7. disp. 26. cap. 3. Valentia tom. 3. disp. 1. quest. 11. punct. 1. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 4. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 9. quest. 1. Castrus Palau tom. 1. tract. 4. disputat. 3. punct. 2. num. 1. Coninch, de fide disp. 18. dub. 7. n. 78. Filiucius tom. 2. tract. 22. cap. 6. n. 153. Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 13. num. 2. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 14. num. 224. Pelantius, Malderus, Sylvius, Bañez, Itagon, & Cajetanus in 2.2. quest. 11. artic. 2. cum alijs penes ipsos.

3. Secunda opinio est aliquorum Iurisperitorum non peritè assertentium, minimè esse hereticum pertinacem, si quis prius non fuerit admonitus. Ita Alciat. in l. 2. C. de sum. Trin. & fid. Cathol. n. 3. ubi sic ait: Pertinacia est, quæ hominem hereticum facit, quapropter si quisquam in Trinitate non rectè sentiat, nisi admonitus persistat, hereticus non est. Sic ille, & inter Neotericos hanc sententiam docet Menoch. vol. 2. conf. 149. n. 49. ubi sic ait: Ut quis dicatur hereticus pertinax

debet constare quod fuit monitus, & instructus de veritate, & quod ea instructione sprete persistat in eadem opinione, & citat pro hac sententia Lupum & Turcematam, quibus addi potest Palatius Rub. in alleg. in mat. heres. §. 3. per tot. Unde D. August. de Civit. Dei, lib. 8. cap. 51. relatus in cap. qui in Ecclesia 24. quest. 3. sic ait: Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correcti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, heretici sunt. Et in Clem. de summ. Trinit. Pontifex definit hereticum censendum esse qui defendere pertinaciter præsumperit quod anima rationalis non sit forma corporis humani.

4. Tertia opinio fœdere distinctionis lapidatæ pugnantibus opinionibus conciliat, ait enim primam opinionem procedere in foro interiori, secundam verò in foro exteriori. Ita Petrus de Aragon. in 2.2. q. 11. art. 1. concl. 2. & Sanctarellus de heret. cap. 1. dub. 4. n. 18. in fin. & faveri Tannerus in 2.2. D. Th. disp. 1. q. 8. dub. 5. n. 91. & 94. Verum si hæc distinctio admittenda esset, paucos hereticos puniret Tribunal S. Inquisit. cum periculo reipubl. quia omnes heretici se defenderent, dicendo quod non fuerint admoniti, & deo primam sententiam non solum in foro interiori, sed etiam exteriori puto amplectendam esse. Unde Lorca in 2.2. D. Th. q. 11. art. 2. disp. 41. n. 8. sic ait: Per se, & ex natura rei non est necessaria admonitio, ut homo hereticus sit pertinax, nam in his quæ manifesta sunt, qui errat ex electione & deliberatè, etiam si nullo speciatim admonitus sit, & priusquam admonitus sit pertinax, est etiam hereticus.

5. Quare non rectè Alciatus, & quidam alij dicunt neminem censendum esse pertinacem, nisi eum, qui admonitus persistit in errore, quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam & si quæ admonitio necessaria est, ipsa notorie doctrinæ sit, quemadmodum in excommunicationibus à jure lex ipsa sufficienter admonet, ut libet contumaciæ quæ ad excommunicationem requiritur. Nec solum in foro animæ, sed etiam in foro externo potest decerni pertinacia sine aliqua monitione prævia. Hæc Lorca doctissime, ut semper solet. Unde Paramus & orig. Inquis. lib. 3. tit. 1. cap. 4. num. 5. ait: In usu & more Ecclesiæ positum esse eum hereticum decernere, qui errore imbutus fuerit à se damnato, quamvis nulla præterierit commonitio eum vox, & ideo Paulus Garfia in ordine processandi in S. Officio fol. 11. a tergo, sic ait: [Cada y quando que el Reo confesare haver tenido y creydo errores, se le ha de ptegarar si sabia y entendia que la Yglesia Catholica Romana renia lo contrario de lo que el creia, de manera que bastantemente satisfacga a lo que toca à la pertinacia que es lo que haze herege consumado.] Sic ibi. Sed audiamus Simancam tit. 48. num. 7. & 8. sic asserentem. Adnotatu dignum est quod quicumque credit aliquam propositionem veram esse, cujus contrariam sciat esse catholicam, hoc solo consummatus hereticus pertinax est. Nec audiendi quidam, quorum in numero est Alciatus, qui putant neminem hereticum pertinacem esse, qui non habet animum oblitum, & admonitus non persistit, nam pertinacia quæ consummatur facit hereticum, non est oblitatio sola, sed quilibet etiam verus consensus contrarius cognita veritati Ecclesiæ Catholice. Accedit etiam ratio viva quidem & spirans, quia sacra Scriptura, & Ecclesiastica definitio, quibus fides Catholica continetur, plus operatur, & potest, quam sexcentæ judicis humani. Si- nes, & quam mille prohibitiones juris humani ad- cut igitur is, qui contradicit legitimis hominum admonitionibus, pertinax est, & qui facit contra prohibitionem legis humanæ, ipso facto incidit in excom- muni-

municationem, quæ non nisi præcedentibus admonitionibus ferri solet, & legis autoritas pertinacem haberi facit quemlibet legis transgressorem; sic etiam qui contra Scripturam sacram, aut Ecclesiæ Catholicæ definitionem sciens errat, hoc solo fine alia admonitione pertinax hæreticus est. Ita Simanca, & tandem hanc sententiam docet novissime Merolla in *disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 12. n. 181.* sic asserens. Infertur non requiri ad pertinaciam, ut quis de suo errore sciens admisso monteatur, & ipse adhuc persistere velit, sed sufficere si scienter erret contra id quod ab Ecclesia definitum esse cognoscit. Sic ille, & hanc opinionem tenet etiam Suarez de *fide disp. 19. sect. 3. num. 8.* & Ricciellus *tract. de jure person. lib. 5. c. 2. num. 10.* ex quibus firmata satis remanet nostra sententia adversus Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, nisi quis eos benigne intelligendos esse dicat, in casu quo hæreticus esset rudis & simplex, vel etiam sagax & doctus, quando relaxandus esset brachio sæculari, in his enim casibus concedimus, præmittendam esse admonitionem. Sed quia, ut optime advertit Becanus *tom. 3. in 2.2. cap. 14. quest. 2. num. 13.* ex doctrina superius allata sequitur, quod nemo est hæreticus nisi sit pertinax in suo errore, & nemo est pertinax, nisi qui advertit se sentire contra Ecclesiam: ergo qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus est. Ideo videtur hic discutendum necessariū quænam ignorantia excuset ab hæresi, & per consequens à pertinacia.

6. Suppono igitur ignorantiam culpabilem, seu voluntariam esse duplicem, una est affectata, quando quis ex industria vult aliquid ignorare, altera est crassa & supina, quando quis non ex industria & proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea quæ potest & debet scire; prior est directæ & formaliter voluntaria, posterior indirectæ & virtualiter, utraque tamen vincibilis & culpabilis, hoc supposito.

7. Prima opinio asserit ignorantiam crassam, & supinam, non excusari ab hæresi, & per consequens à pertinacia. Ita Lorca in *2. 2. D. Thom. q. 11. artic. 2. disp. 4. num. 15.* Sotus in *4. disp. 22. quest. 2. artic. 3. post 3. concl. cas. 1.* Sayrus de *cons. lib. 1. cap. 14. n. 15.* Toletus *lib. 1. cap. 19. n. 2.* Felinus in *cap. 1. de heret. q. 2.* Ancharanus *n. 5.* Boëtius *n. 2.* Io. Andreas *n. 2. & alij.* Et ratio est, quia ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis: ergo nec ab hæresi: nam sicut homicidium semper est peccatum, siue fiat ex scientia, siue ex ignorantia culpabili, ita error circa fidem semper erit peccatum hæresis, siue scienter, siue ignoranter fiat modò ignorantia fuerit culpabilis.

8. Secunda opinio tenet nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili etiam crassa commissum, esse hæresim. Ita Zumel in *1. 2. quest. 76. art. 4. disp. 1. paulo ante 1. concl. Cano de loc. Theol. lib. 12. cap. 9.* Castus de *iusta heret. pun. lib. 1. cap. 9.* & alij, quos citat & sequitur Merolla in *disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 12. num. 177.* quia de ratione hæresis est, ut quis erret in fide, sciens se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ. Sed qui habet crassam ignorantiam, circa communem sensum Ecclesiæ, non errat, sciens se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ: ergo non est hæreticus. Deinde quando quis ignorat se sentire contra suum Magistrum, non censetur esse pertinax, aut derogare auctoritati Magistri, ergo, &c.

9. Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, docet non solum ignorantiam crassam & supinam, sed etiam affectatam excusare ab hæresi. Ita hanc sententiam tenet Azorius, Aragon, Banez, Suarez, Cordinch, quos citat, & sequitur Castus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. num. 3.* quibus ego addo Pefanrium in *2. 2. quest. 11. art. 1. disp. 1. concl. 1.* Becanus *Tom. V.*

tom. 3. in 2.2. cap. 14. quest. 2. num. 16. Sanctarellum *tract. de heresi. cap. 1. dub. 5. num. 23.* Ricciellum *tract. de jure person. lib. 5. cap. 7. n. 12.* Ledesnam in *summa tom. 2. cap. 6. concl. 4. diff. 2.* & Vasquez in *1. disp. 126. cap. 2.* quicquid in contrarium asserant Valentia *tom. 3. disp. 1. quest. 1. punct. 1. diff. 4. ad 1. arg. Zumel in 1. 2. quest. 76. art. 4. disp. 1.* Canus de *loc. Theol. lib. 11. cap. 9.* & alij.

10. Dico igitur primò, quod ignorantia affectata potest duobus modis accidere, primò ex tadio addiscendi tantum, ut si quis vult aliquid ignorare, quia tædet illum discere, & hoc modo error in rebus fidei non est hæresis, quia qui sic errat, non offendit auctoritatem Ecclesiæ tanquam pertinax, & incredulus, licet offendant Deum tanquam culpabiliter ignorans, ergo ipsius peccatum non est hæresis, aut pertinacia, sed ignorantia. Secundò potest contingere affectata ignorantia ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia quis putat parvi momenti esse ea quæ in Ecclesia creduntur, & proponuntur, & hoc modo est hæreticus, quia ex illa falsa opinione affectaret ignorantiam.

11. Restat modò respondere ad argumentum primæ sententiæ. Dico igitur esse disparem rationem inter hæresim, & alia peccata, quia de ratione hæresis est pertinacia: at nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat, & advertat se sentire contra Ecclesiam; quare qui hoc ignorat, non est pertinax, & consequenter non hæreticus; at verò pertinacia non est de ratione aliorum peccatorum, ac propterea cum committuntur alia peccata, non requiritur in peccante, ut advertat se delinquere contra legem Dei, sed satis est si advertat, vel possit ac debeat advertere.

12. Notandum est tamen quod omnia supradicta intelligenda sunt in foro interiori, nam in foro externo & judiciali errans in fide, si alleget ex ignorantia errasse, non creditur si error commissus sit in his, quæ quis ex officio scire tenetur, vel quæ passim & communiter illius qualitates sunt. Unde Sacerdotes & alij viri docti errantes in articulis fidei & præceptis Decalogi, ex malitia præsumuntur errare, & non ex ignorantia. Ita Soula in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 12. n. 14.* & Castus Palaus *tom. 1. tract. 4. punct. 2. num. 5.* qui citat Menochium, Farinacium, Deoanum, & alios. ego tamen adducam pulchrum locum Albertini *q. 30. num. 37.* ubi sic ait: Si sumus in casu quod aliquis negaret articulum divulgatum, vel contentum in Symbolo, quem tenetur explicite & distincte credere, tunc ex eo est præsumptio violenta contra eum quod veritatem illius non ignorat, sed quod illud asserit, scienter & non ignoranter, ideo pertinax hæreticus est judicandus, quanvis dicat se paratum corrigi.

13. Ex his consideratur, an bene dixerit Io. Lupus in *alleg. heresi.* ubi tenet, negantem asseritionem Catholicam apud Catholicos divulgatam non esse hæreticam, si paratus est corrigi, quia ut sentio non dene loquitur, quia illa divulgatio inducit contra illi præsumptionem quam dixi, ex quo ille accusatus de hæresi cum Christianis communiter conversabatur, Ecclesiæ ingratabat, & de his pertinentibus ad fidem Catholicam sæpè audivit prædicantes. Ita ille. Sed audiamus Simancam *tit. 28. n. 13.* sic asserentem. Nullus Christianus excusari potest prætextu ignorantie, si erraverit in articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in aliis veritatibus divulgatis, & quas quilibet scire debet, sed longè magis inexcusabiles sunt peritiores & acutiores. Non est tamen negandum cum Pegna in *direct. Inquis. p. 2. comm. 1.* Sanctarell. de *heresi. cap. 1. dub. 6. n. 29.* Io. Lopez in *alleg. §. 4. §. 5.* & 7. Palasio Rubio in *alleg. in mat. her. §. 4.* Deciano *lib. 5. cap. 39. n. 11.* Armilla *ver. heresi. num. 1.* Sylvestro *ver. heresi. num. 1.* & aliis. Supradicta limitanda esse cum aliquibus cum

quibus probabiliter præsumitur, quod non verè & perfectè sciebant Catholicas veritates, ut v. g. quia simplices erant ut multi laici & rustici homines, aut quia dogma non erat de articulis fidei, qui in Ecclesia solent solemnizari, nisi arbitrio iudicis debent puniri, & non ut formaliter hæretici, sed tanquam suspecti de hæresi, debent abjurare, & quamvis grossa in cap. schisma 24. q. 1. ver. magis, & ver. ignorantia. Albertin. in rubr. de heret. in 6. q. 13. n. 13. & 24. hanc limitationem non admittant, tamen intelligendi sunt de illis viris idoneis & simplicibus qui non sunt parati corrigi ab Ecclesia, ut notat Angelus ver. fides, num. 6. Tabiena eodem ver. n. 7. & Sanctarellus loc. cit. Ex his Inquisitoribus San Vincente in manuscript. cap. 2. §. 16. ita rectè asseruit. [Algunas proposiciones ay que aunque sean formalmente heréticas dichas por personas ignorantes de poca capacidad puslanimes llebadas de malencolia y falta de instruccion, que por estas y otras causas pareço que no se puede reputar, ni presumir vehementemente que sean hereges, si no erráticas, y así confesando haverlas dicho, y que no sabian eran contra lo que tiene la Yglesia, negando la pertinacia y dando alguna razon natural, que les movio a dezir y creer dichas proposiciones como una muger de quinze años que io conoçi que dixo, que no creya que nuestra Señora pudiesse quedar virgen despues de haver parido, y otra que dixo que la Santissima Trinidad era una buena vieja y que no podia creer que nuestro Señor estuvisse en la hostia, porque no podia caber en ella, y así fuele darles algunas penitencias ligeras, o absolverles ad cautelam, o abjurar de levi, y algunas veces no siendo tanta la ignorancia podria haver abjuracion de vehementi.]

14. Sed quia dictum est aliquando ad constituendum hominem hæreticum necessariam esse admonitionem, ut v. g. quando laicus, vel rusticus simplex errat ex ignorantia, restat pro complemento hujus disputationis inquirere, an in tali casu censendus sit hæreticus pertinax, si talis vir simplex admonitus ab Inquisitoribus, vel Episcopo adhuc in suo errore persistat.

15. Prima opinio negat & asserit, non satis esse ad pertinaciam de qua loquimur, si quis admoneatur de suo errore admittit, non solum à viris gravissimis, sed etiam ab Inquisitoribus & Episcopo, nam si talis semper existimet suam opinionem non esse adversus sensum Rom. Ecclesiæ, & ipsos Inquisitores & Episcopum decipi, non est verus hæreticus pertinax. Ita Valentia tom. 3. disp. 1. quest. 11. punct. 1. diff. 4. Torres de Trin. q. 3. art. 4. in part. comm. Salas in 1. tract. 13. disp. 7. sect. 7. n. 53. Sayrus de cons. lib. 3. cap. 4. num. 17. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 25. Sanctarell. de heret. cap. 1. dub. 6. num. 28. & alij penes ipsos, & ratio est, quia, ut sapius dictum est, nisi qui credat se opinari contra Ecclesiæ doctrinam, non est hæreticus pertinax.

16. Secunda opinio asserit, ita Bartol. in l. tutor, tutoris, num. 1. ff. de suspectis tutor. Rebuffus in Bull. Cœn. excomm. 1. art. 1. ver. hereticos. Vgolinus in Bull. Cœn. part. 2. cap. 1. §. 1. num. 10. Pegna in direct. Inquisit. part. 1. comment. 26. Duardus in Bull. Cœn. libro 2. can. 1. quest. 25. num. 4. Farinacius de heret. quest. 169. num. 10. Simanc. tit. 48. a num. 18. Albertinus quest. 30. & alij.

17. Tertia opinio distinguit, & asserit negativam sententiam procedere in foro interiori; sequendam verò affirmativam in foro exteriori, ut patet in cap. ad abolendam, de heret. ita Merolla in disp. Theol. to. 1. disp. 1. tract. 2. n. 183. Suarez de fide disp. 19. sect. 3. n. 21. Valquez in 1. 2. tom. 1. disp. 126. cap. 3. n. 7. & Lorca in 2. 2. D. Th. quest. 11. art. 2. disp. 41. n. 20. & ego huic tertriæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, licet Cæ-

strus Palau tom. 1. tract. 4. disp. 3. p. 2. n. 6. asserat opinionem affirmativam tenendam esse non solum in foro exteriori, sed etiam interiori. Sed contra Palau non est recedendum à negativa sententia quoad forum interius; secus autem, ut dictum est, quoad exterius, in quo errantes ab Inquisitoribus, Episcopo, vel ab alio viro docto ab illis ad hoc deputato admoniti & non respicientes censendi sunt, & damnandi tanquam hæretici; & ratio est, ut optime advertit Lora, quoniam ad iudicium cuiuscumque causæ & cuiuscumque hæretici non oportet Ecclesiam congregare, neque Sum. Pontificem adire, & oportuit esse peculiares iudices, quorum iudicio causa finiatur, præsertim cum hi prudenti semper & maturo examine procedant, nec nisi in certis & manifestis sententiam proferant. Ita ille, & ego, & hæc dicta sufficiant circa præsentem questionem, in qua omnia satis explicata videntur quæ constituunt hominem hæreticum pertinacem in foro fori & poli.

RESOL. XXXVII.

In imponendis pœnis quando discrepant Inquisitores, & Ordinarij, quid faciendum?

Et notatur, quod est differentia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam; nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopi, & Inquisitores impulerunt delinquenti aliquam penam possunt commutative eam minuire; in Hispania vero ex privilegio Summi Pontificis Supremus Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas.

Et an hodie Inquisitores in depositione Crucis signatæ, vulgo dicte San Benito, minime dispensare possint?

Ex p. 4. tract. 7. Rel. etiam 37.

§. 1. AD hoc dubium ita respondet Sanctarellus de heret. c. 40. dub. 2. num. 13. Quando Inquisitor & Episcopus dissentunt, tunc consulendus est Romanus Pontifex, ex cap. per hoc de heret. in 6. ubi dicitur. In qua sententia ferenda si non convenierit, per utroque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur. Ita textus ibi, & Sanctarellus, quod etiam novissime docuit Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. n. 15. ubi sic ait. Notandum quod discordantibus Inquisitore, & Episcopo in prolatione sententiæ, seu in alio actu quem quisque solus expedire non potest, debent Sedem Apostolicam consulere. Ita ille, & ante omnes Vmberus Locatus in praxi Inquisit. ver. Tortura, §. 1. sed pœne quod Episcopum. Sed hoc procedit in Inquisitione Romana, secus autem servatur in Hispanica, in qua ex privilegio Sedis Apostolicæ, quando Episcopi & Inquisitores in aliquo discordant, non ad Summum Pontificem, sed ad supremum Inquisitionis Senatuum causa instructa recurrendum est; ut notat Simanca tit. 25. num. 5. ubi sic ait: Si Episcopus & Inquisitores concordantes non fuerint in pronunciando, tunc remittenda est causa instructa ad Apostolicam Sedem. Sed hoc in Hispania longè aliter fit, nam cum Episcopi & Inquisitores non sunt concordantes, remittitur causa instructa ad Senatuum sacræ Inquisitionis. Ita ille & post illum Molina de just. tract. 5. disp. 28. num. 14. ubi in fine ita asserit. Postquam hæc scripti, à fide dignis accepi, id quod de recursum ad supr. Senatuum Inquisitorumque Generalem, quando Ordinarius & Inquisitores discordant, authoritate literarum Apostolicarum fuisse in hoc Regno sancitum. Neque sanè aliter id sibi Generales Inquisitores usurpassent, in Episcoporum præ iudicium, quam Apostolica authoritate. Hæc Molina, qui citat Rojas & Pegnam, quibus ego addo Freyram in editione novissima de Confess. solic. quest. 15. num. 20. & ideo in instruct.